




MAGNIFICI QVONDAM VIRI
DN.

SIGISMVNDI
A NIBELSCHÜTZ
ET GAFRON, IN
ALTEN-WOH-

LAW &c.


ILLUSTRISS. PRINCIPISLIG-
NIC. CONSIL. ET DUCATUS
WOLAVIENSIS PRAE-
FECTI OPT. MER.

MEMORIA.



BREGÆ
TYPIS GRÜNDERIANIS, A C.
cl) lœc xxx.






OMNIA MORS SOLVIT, tritum est. Non omnia solvit,
Solvere cum nequeat, quod benè junxit AMOR.
Nos constans & fidus Amor concorditer annis
A teneris junxit; non Atropos dirimet;
Quæ licet ex oculis te sustulit invida nostris,
Corporis exsolvens vincula, Amice, tui;
Non tamen ex animo potis est evellere Nomen,
Hoc siquidem invitâ Morte superstes erit.
Verè in pectoribus, ceu sculptus marmore duro,
Ingenuus candor cum pietate manet.
Donec noster Amor Christus, queis vivere junctis
Dulce erat in terris, jungat itemq; Polo,
Nullus ubi dolor est, mors, fraus, injuria nulla,
Sed lux, pax, requies, vita perennis AMOR.

Amico benemerenti

Iugens P.

CHRISTOPH. à ZEDLITZ
& NeuKirch in Eichholtz
Lübenthal & Dohnaw.



Sci-

Scilicet ante diem noster Capitaneus ævi
Defunctis spaciis creditur; ante diem!
Nam Musa & Charites, Pallasq; & Suada, Themisq;
Laudem illi ex vero contribuere suam.
Hoc pietas, Candor, Gravitas, Retinentia, Virtus,
Ingenium, eloquium, iudiciumq; docent.
Æternas laudes æterna & vita sequatur:
Cur sic in cineres vertitur ante diem?
Sic Princeps luget, cuncti tristantur amici,
In gemitum & lacrimas Conjugis ora ruunt.
Conqueritur Ligium, & Wolavia: civis, & omnis
Exterus extinctum condolet ante diem.
Atq; ego sic doleo fidum amisisse (quid inquam?)
Nescio num fratrem conquerar anne patrem?
Mortuus ante diem est ergo? sint frena dolori!
Ante diem nemo fata suprema subit.
Nam decreta DEI bona sunt hæc fata Potentis,
Sunt bona, suntq; boni sanctio justa DEI.
Si decreta ergo, bona sî, si justaq; fata,
Ante diem nunquam Vitaq; Morsq; ruunt.
Nos ergo iniusti, qui sic rescindere fatum
Nitimur, & querimur: mortuus ante diem!

Ast

Ast hic causa subest, justum excessisse dolorem;
Concedo, causa est; sed tamen esto modus.
Gaudere & mœrere vices habet; huic id & illi
Se pius afformet, si pius esse volet.
Ne rapiant nos, sed ducant ut Fata, sequamur:
Et placeant nobis quæ placuere DEO.
Teste DEO est æquum, sit & æquum credere nobis.
Stat rata lex: Mœrere, at Mors bona, Vita bona.

DAVID à SCHWEINITZ
in Seiffersdorff.
Illustris Principis Lig.
Consiliarius.

Nibelschitziades obijt Capitaneus ille
Wolavici coetus! plangite vos Proceres!
Nibelschitziades obijt, qui, vivere quisquam
Si dignus fuit, heu, vivere dignus erat.
Nibelschitziades obijt, prænobile Juris
Præsidium, excelso iudicio, arte gravi.
O quantam patitur lugens jam patria cladem,
Totius patriæ fidus ocellus erat.
Sed quid? fatavolunt, placuit mortisq; Monarchæ!
Illius exopto ut molliter ossa cubent.

FRIDERICUS à MAUSCHWITZ
in Baudmansdorff Illustris Princa
Lign. Consiliar.

Sigrave JUDICIUM, si VIRTUS, SVADA, THEMIS-
(QUE,

SI MORES, tardent si PROBA VITA, Necem;
Judice me, ex animis nondum, VIR MAGNE, jaceres,
Vivere qui Pylis tempora dignus eras.

Sed SUMMOS, MEDIOS, IMOS, Mors ordine nullo
Servato, dolor heu! dente vorace rapit.

Scilicet has iras, hos firma & Lege furores
Ob primam labem FATA dedere NECI.

Ergo quod non est mutandum mente ferendum
Æquâ, ne majus nos premat inde malum.

HENRICUS à SEBOTTENDORFF
& Cunern, Illustris. Principis
Lign. Consiliar.

*F*ingam ego; MORTEM URBI posse assimilarier amplæ
Ad quam quisq; suâ cogitur ire viâ.

Ille illuc citius veniat, si tardius alter,
Quid sit quæso? tamen cuiq; peracta via est.

Fortasse alter habet dictæ vicinior urbi,
Fortè illum gravitas quid remorata viæ est.

Si saltim spes sit præeuntem ivisse sub urbem,
Quo cupiamq; sequi, quo studiamq; sequi,

Con-

Con-que-venire ipsa qua nos cogamur in urbe;
Quare urat dolor, aut nos edat Invidia?

Sed quorsum ista volo? Nempe ille Pararius Æqui,
Wolaicum quo ceu stabat Atlante solum,

Cui non dictus is est, cui non dicetur, & illum
Quis non ante diem plangit obisse diem?

Ipsè meus PRINCEPS, PRINCEPS justissimus, ipse
Huncce suas vellet porrò tenere vices.

At vero ad nostram modo prædecessit is urbem:
Mox, ut eum simili lege sequamur, erit.

Interea in meritis, queis toti innotuit orbi,
Hic Fuit Is! dicat quilibet, Hic Fuit Is!

Hoc erit, exemplo quasi, successoribus olim;
Et sic ille novis vivet adhuc meritis.

Hoc erit, ut reliqui, quos coram impellit adesse
Orbus amor, metuant hanc minus ire viam.

Felicem, ha! mortem! per quam præcepta modumq;
Tàm victurus habet, quàm moriturus habet!

GOTFR. BAUDISIUS J. U. D.
Illustris. Princ. Lignic. Consil.
& Cancellar.


In tumulum.

*N*ubelschitzjadum Soboles generosa parentum
Hic jacet: ast is Vir quantus in orbe fuit!

Con-


Consilij cuius vis enthea, facta q̄, cuius
Exemplum sera posteritas erunt.

PAULUS HALLMANNUS,
Illustr. Principi Lignicensi
â Consiliis.



Quis NIBELSCHVTZI fueris, versu eloquar uno:
Exemplar veræ nobilitatis eras.
Quis NIBELSCHVTZI nunc sis, versu eloquar uno:
Incola, cum sanctis, ætherij ipse throni es.
Qui fortis vincit nebulas, mortisq; sagittas,
Præfectus veri Wolavij arcis erit.

HENRICUS RÖSSLER J. V. D.
Celsiss. Ducis Lignic. Con-
siliarius.




Ægypti Dominus flevit Psammitus amici
Pauperiem, quid non candor amoris agit?
Nec mirum si nos inopinum flemus amici
Discessum, rapuit quem Libitina ferox,
Herois tanti, firmo quem glutine amoris
Sinceri junxit prima iuventa mihi.
Semper amor viguit, semper dilexit amicum
Illi honor etsi erat, at recula curta mihi.

Talis

Talis amor raro constans manet; invidus, eheu!
Pectora solvit honor sæpè ligata bene.
Pullatos igitur merito nunc induo vultus,
Effundens tales voce gemente sonos:
Occubuit Pylades, tædas accendite Musæ
Funales, resonent carmina lugubria!
Occubuit verum Phæbi decus, atq; columna
Afflicta patria, Nobilitatis apex!
Occubuit Præses magnus, Wolavica terra
Præsidis indignam maesta doleto vicem.
Occubuit generis splendor, plorate propinqui,
Vestra jam cecidit pulchra corona domus.
Nos manet hæc luctus, sors illi contigit alma
Cælorum, requies, pax bona, vita, salus,
O felix nimium felix, cui morte beata
Concedunt summum claudere fata diem.

Debitæ observantiæ & amoris ergo
deproperabat

ABRAHAMUS â KRECKWITZ.



Gressibus it properis è vivis, Nobilis Heros,
Quem summo statuit gloria magna loco!
Nempè tot Ingenij, tot Honorum puncta merentes,
Sic Deus ire, diu nec superesse finit.


B

Quid

Quid superest rerum? In pejus sunt cuncta relata:
Hoc unum: His quivis gressibus ire paret.


ESAIAS Sperer

Illustris. Principis Lignic. Consiliar.



Fama est! quod res est! mirabere lector! is ipse
Occidit! haud genitrix quem dabit ulla parem.
Sic placitum DOMINO! justissimus hicce, bonusq;
Et bonitas ipsa! & nil nisi iusta facit.

FABIANUS SCHUBERT.



Te quoq; Wohlaici patrem quem jure Ducatus
Dixero, Patronum & dixero jure meum,
NIBELSCHUTZIADAE, ante diem tela invida Mortis
Et Patriæ, & pariter subripuere mihi.
Heu jactura ingens, quam PRINCEPS Patria, quamq;
Ipse etiam falsis desseo nunc lacrymis.
Sed quorsum? nihil hic lacrymarum proderit imber;
Imò etiam invidia hæ prosperitatis erunt.
Tu patriam repetis, meritis Tu vivis in ævum,
Exemptus cunctis, quæ super orbe, malis.
Fœlix, qui ante diem, vitæ sator & meritum
Dives, obit, vivens clara per ora virum.


*Dn. & Patrono opt. merito extremum
honorem ita persolvebat*

MICHAEL HENE Vratisl.

Illustris. Principis Lignic. Secretarius.

Occidit ante diem, ~~heu!~~ occidit inclitus Heros
NIBELSCHUTZIADUM stirpis honorus apex!
Principis heu! Ligij Cor, atq; Themistos ocellus,
Occidit, & fide dexteritatis honor!
Sic vulgus! rectâ at rem siratione putemus,
Occidit haud: FAMA vivit at & meritis.
Et GENERE & GENIO is fecit sibi nobile nomen,
Quod proba posteritas semper ad astra vehet.
Quem Genus & Genius pariter Virtutis & artis
Nobilitant, terris occubuisse nequit.

M. CHRISTOPH. WAGNERUS.



Tristes SIGMUNDUS Niebschütz migravit ad umbras,
Et cineres tantum Patria terra tenet.
Ah dolor! ille fuit magnâ Vir laude vehendus,
Luget quem meritò Lygia tota domus!
Aulæ permagnâ rexit cum laude secures,
In commune bonum comoda mille tulit.
Quamvis Fata petat, tamen hoc solamen habebit,
Æternùm nequeat quod bona fama mori.
Has precor exuvias, bone Christe, animamq; tuere,
Usq; dabit claros buccina clara sonos.

GEORGIUS THALWENCELIUS

*Illustris. Princip. Lignic.
ab Epistolis.*

